

D F N

1604



00
1A
0020

+



1w
DISPUTATIO BIBLICA XXIII.
E XXVII, & XXVIII, ca-
pitibus Geneseos, ad privatam
συζητησιν proposita

à
SALOMONE GESNERO, S.S.
THEOLOGIAE DOCTORE ET PRO-
fessore publico, in Academia
Vitebergensi.

De qua die 9 Junij, Anno Christi 1599. respondebit
σὺν δεξιᾷ

M. IOHANNES EISINGIVS
Regiomontanus Francus.



VVITEBERGAE,
Imprimebatur Typis Meißnerianis,
M. D. XCIX.



AMPLISSIMIS, REVERENDIS
Consultissimis, omnium- & clarissimis Viris
que rerum usu spectatissi-
mis viris

Dn. PAVLO ROSÆ,
Imperiali urbi Suinfurto
Præfecto :

Dn. M. ANDREÆ GRA-
SERO, Ecclesiæ Regimont-
tanæ Francorum Superinten-
denti fidelissimo :

Dn. LAURENTIO
GÖBELIO, Scholarchæ :
Inclytæ Reipublicæ Suinfur-
tensis senatoribus
primarijs :

Dn. M. NICOLAO VVIL-
LIO, Scholæ Suinfurtensis Re-
ctori vigilantissimo :

*Dominis Fautoribus, Promotoribus & Præceptoribus suis
summa observantiæ cultu prosequendis :*

*Biblicam hanc ἐξέτασιν gratitudinis & amoris ergò hu-
militer offert & dedicat*

Respondens

M. Iohannes Eisingius Regio-
montanus Francus.



Quæstio prima, de astutia Rebecca:

Thesis I.

Residua capituli 27. Genesios diligenter perpendenda veniunt. Primum siquidem membrum proximè expeditum est, quid nimirum Isaacus Esau mandaverit, & pollicitus sit: Volebat enim Isaacus Esauo benedictionem conferre duabus causis motus, ut sentit Theodoretus quest. 77. Primò τῷ νόμῳ τῆς φύσεως, quod iuxta legem nature primogenito illa debebatur: Deinde ἡ ἐξουσία τῆς δεξιᾶς τοῦ φίλτρον, quod Esau officiosus erat, id paternum amorem adauxit.

II.

Mandatum & promissionem Isaaci Rebecca non fortuito nec ὡτακσίας & curiositatis vitio, quo multa laborant, sed ἀκρίβειᾳ & sedulitate, qua maritum senio debilem diligentissime observabat, audiuit. Decet enim uxores à maritis, præsertim agris & senectute fractis non abire longius, & præterea quid rerum domi geratur, probè attendere. 1. Timot. 2. 9. 1. Petr. 3. 3. Sicut facit Abigail, 1. Sam. 25, 14.

III.

Quod Esau præcepto patris obtemperans venatum exit, laudem obedientiæ mereretur, si ex fide honorandiq; & ætendi patris causâ, & non potius acquirenda dignitatis & dominationis gratiâ factum esset. Hypocrita enim omnia sua opera faciunt πρὸς τὸ δεῖξάντων, Matth. 6. vers. 1. non Deo & proximo, sed sibi suisq; commodis servientes, Rom. 16, v. 18. Phil. 3. 18. 19.

De obedientia
Esavi quid sentiendum.

IV.

De Rebecca consilio & instituto difficilior est quæstio, quod commemorata patris ad Esavum oratione, Iacobo præcipit: Vade ad gregem, & cape mihi inde duos hædos & aprarum bonos, & faciam ex eis escas lapidas patri

A 2 tuo,

tuo, quemadmodum diligit: & afferes patri tuo, & comedet, ut benedicat tibi, antequam moriatur.

V.

Calvinus fallaciam nuncupat, & ait: cum per se damnable sit mendacium, in eo Rebecca gravius peccavit, quod talibus prastigijs in re sacra ludere ausa est.

VI.

Sed Augustini potior est sententia, qui ait, dolum esse sine dolo. O res gestas, inquit, sed propheticè gestas, in terra, sed calitus; per homines, sed divinitus, lib. 16. de civitate Dei, cap. 27.

VII.

Rebecca niti-
tur oraculo.

Duo enim hinc sunt in questione. Vnum de re ipsa, An Rebecca piè & bene voluerit, Jacobum benedictionis hereditatem institui, Esavum hac eminentiâ privari? Ad quod re-
ctissimè respondet Theodoretus quest. 78. illam scivisse ex Deo omnium authore, quod major serviturus esset minori. Sic enim oraculum Gen. 25. dixerat. Quare cum sancta mulier auctoritate divini responsi, imò inspiratione Spiritus sancti nitatur, fidei est, quod eum cupit benedici, cui Deus ipse hoc beneficium stipulatus fuerat.

VIII.

Alterum, de quo dubitatur, est, modus agendi. Cum enim quilibet jus suum justè persequi debeat, Deut. 16. 20. queritur, utrum in modo quicquam contra primam vel secundam Decalogi tabulam, id est, vel contra pietatem in Deum, vel contra dilectionem proximi commissum sit?

Quod Rebecca
in modo agen-
di non deliquit.

1.

2.

IX.
Affirmant nonnulli: sed cur negativam potius tueamur, evidentes sunt cause. Primò enim, cum Deus Jacobum fratris dominum in utero constituerit, non adversari potest divina ordinationi; quod mater id ipsum persequitur. Deinde cum Esavus oraculi sententia primogeniturâ sit privatus,
nulla

nulla fit ei injuria, id subtrahendo, quod jure divino illi non concessum erat. Tertio quandoquidem ipse *πρωτόγονον* pro edulio vendidit, & juramento eam Iacobo addixit, quid est, quod eam sibi fraude ereptam conqueri posset? Ac cum mater insuper non dubitet divinam in se vindictam provocare, si hoc suo invento filium in periculum adducat, quando ait: Super me sit maledictio ista, mi fili: Cum denique Spiritus sanctus per Isaacum loquens benedictionem hac astutia acquisitam approbet, benedixi, inquit, eum, & benedictus erit: dubium non est, quin tota haec actio, quae comedia similis videtur, divino instinctu gesta sit.

X.

Quapropter dolus & mendacium nequaquam est, cum hoc instituto neque Dei neque proximi dilectio violetur: Sed prudentia est, inque rebus gerendis circumspectio, qua aliàs quidem aperte & citra ulla ambages, aliàs vero recte & simulate id, quod per se honestum, equum & pium est expedire licet.

Duo modi
gendi.

XI.

Et si enim *παισθησια* ad id astutia iniqua, quae pietatem in Deum & dilectionem proximi laedit, vituperatur, & merito cavetur, Syrac. 19, 22. Attamen calliditas honesta commendatur, juxta Salomonis Apophthegma, callidus videns malum abscondit se; sed stupidus transit, & damno afficitur. Prov. 22.

Astutia cum
dolo.

Calliditas absq[ue]
fraudentia.

XII.

Quando autem de fictione & simulatione agitur, semper confessio & religio excipienda est, de qua verissime sentit Augustinus: Capitale est mendacium longeque fugiendum, quod fit in doctrina Religionis, ad quod mendacium nulla conditione quisquam debet adduci, lib. de mend. cap. 14.

Simulatio reli-
gionis repu-
diata.

XIII.

Habetur id quidem à multis pro singulari artificio, moderatione & prudentia, si quis ad omnem flatum religionis

A 3

sese

se se accommodare, & in formas diversas, instar Polypi, pro personarum locorumque ratione transmutare queat.

XIIII.

Quorum sit bo-
minum religio-
nem simulare.

1. Apostatarū.

De Iuliano illo Apostata tradit Sigonius lib. 6. Imper. oc- cid. quod, cum mortem sibi imminere e magorum & aruspici- cum responsis, quibus se totum commiserat, didicisset, & o- mnium animos ad se pertrahere vellet, studere se Christiana fidei sinxerit, à qua jam pridem nefarie desciverat. Itaque die Epiphania in solenni congressu Ecclesie Christum se venerari simulavit.

2. Arrianorum.

XV.

Origenem quoque Arrianas blasphemias in chartis consti- gnatas amicis clanculum communicasse testis est Zonaras tom, 3. ann. quin etiam thura dijs adolere, quam corpus Ae- thiopi conspurcandum prebere maluit, ut habet Suidas & Nicephorus libro 5. cap. 32. atque hanc usque postea Arriani e- gregie imitati sunt, ut in Leontio illo Antiocheno dogmologiae S. Trinitatis Psalmorum fini subnexa depressa voce mur- murante apud Theodoret. lib. 2. cap. 23. inquit, Arrio ipso, qui oc- sultata sub axilla inquit, sinu sua confessione membranis inscr. pta non erubuit Nicanum symbolum coram Imperatore subscribe- re & iuramento eidem se astringere apud Socrat. li. 1. ca. 25. Et inter Mahumetanos secta est, quam ELAVTED, hoc est, TRVNCO RVM nominant, ea opinatur, nullam legem neque fidem esse erroneam, & cuique in corde suo adorare licere, quod sibi videatur. Quo pacto item David Georgius Batavus ille impostor vera religione simulata, & suis bla- sphemis interim occultatis longo tempore latuerit, & qua de- nique versutia Bucerus Petro Martyri suasor fuerit, ut sa- cramentarium dogma ambiguis loquendi formulis involve- ret, ex historijs notum est. Augustinus vero author est, Priscil- lianistas olim docuisse, in corde retinendum esse, quod verum est.

3. Mahumeti-
storum.

4. David Geor-
giarum.

5. Caluiniarum.

6. Priscilliani-
starum.

est, ore autem ad alienos proferre falsum, nullum esse peccatum: item negandum esse Christum, ut possit inter inimicos latere Christianus: quorum etiam istud emblemata: jura per-
jura secretum prodere noli. Augustin. lib. de mendac. cap.
& 211. ad quod vult d. her. 70.

XVI.

Verum hac impostura, qua Deo & hominibus imponere
fucumque facere conatur, procul à Christianis esse debet, Ps. 116.
Matth. 10. Rom. 10.

XVII.

Sed extra tempus confessionis, in rebus ad hanc vitam per-
tinentibus saepe negocia ita sunt comparata, ut id, quod fieri a-
quum est, absque aliqua fictione, occultatione & solertia consequi
nequeamus. Verbi causa: Rebecca absque odio suo jurgio cum marito
& totius familiae perturbatione benedictionem Iacobo impetrare
citra hanc astutiam nequivisset. Infantium in Aegypto vitam
obstetrices citra tale honestum commentum tueri, Gabaonita
absque astutia Israelitarum amicitiam comparare, Nathan Da-
videm absque commento ad agnitionem delicti adducere, Chusai
Ahitophelis scelerata consilia expiscari, foemina Davidis nun-
cios abscondere, Rahab exploratores dimittere, & denique Io-
sua, David, & reliqui principes absque stratagematum admi-
niculo res magnas gerere non potuissent.

Fictiones in
negotij civili-
bus & econo-
micis adeoque
que inconversa-
tione occu-
runt.

XVIII.

Durior proinde est Augustini sententia, qui non modo omnes
honestas, licitasque & necessarias simulationes mendacis accen-
set, sed insuper etiam catalogum diversorum, quae ipse vocat menda-
cia, ita concludit: Quisquis autem esse aliquod genus menda-
cij, quod peccatum non sit, putaverit, decipiet seipsum turpi-
ter, cum honestum se deceptorem arbitratur aliorum. Item:
Nullo pacto, nullo fine, nulla dispensatione humana vel divina
potest licite mendacium dici. August. lib. de mendac. cap. 14.
19. AEquior

Augustini vigi-
dior de men-
dacio opinio.

XIX.

Simulatio ne-
cessaria &
utilis.

Constantius
apud Sozom.
6. l. cap. 6.

AEquior Hieronymi est calculus, qui ait, Utilem simulationem, & in tempore assumendam, Jechu regis Israel nos doceat exemplum, qui non potuisset interficere sacerdotes Baal, nisi se finxisset idolum colere velle, 2. Reg. 10. Hieron. ad Gal. cap. 2. Licet falsum hinc inferat Hieronymus, quod Paulum non serio, sed simulate & ad faciem, ut ille loquitur, publicam Petrum reprehendisse opinatur.

XX.

Mendacij de-
finitio.

Neq; plena est mendacij definitio, qua dicitur falsa esse significatio vocis cum intentione fallendi. Augustinus in Enchirid. cap. 6. & de med. c. 12. Sed hoc insuper ad li oportet, quod mendacium est privata cupiditate carnis, eiq; patre mendaciorum, non ex instinctu Spiritus sancti promanet, quodq; directum sit, vel in contumeliam Dei, vel in detrimentum proximi, quem ledere & circumvenire iniquum sit, vel alioquin ex ingenij vanitate proficiatur.

XXI.

Quamobrem simulationes, occultationes, stratagemata, apologi, prosopopeia, figurata locutiones, hyperbole & similia inventa, qua adhibentur ob honestam & iustam causam, in rebus, quas fateri & palam agere non est necessarium, justum aut utile, nequaquam peccatis & mendacijs, sed circumspetioni & prudentia annumerari debent. Ex. 1, 19. 20; 1. Reg. 21. 13. Luc. 24, 28. Ex. 5, 3. Act. 23, 6. & 21, 22, 23, 1. Cor. 9, 19, 20, 21.

XXII.

Astum proinde Rebecca tuetur partim oraculi decretum, partim fidelis sollicitudo, qua cavet, ne maritus aliquid humani passus, judicij senilis imbecillitate divine ordinationi contraveniret, & reliqua insuper antea commemorata.

Quæstio secunda, de hæsitatione Iacobi.

XXIII.

Arg.



Atq; hoc de Consilio matris, jam de filij responso dicen-
dam est. Hesitat autem Iacobus, & matri submisse ac vere-
cunde respondet: Nosti, inquit, quod Esau frater meus homo
pius sit, ego autem levis seu glaber: si attrectaverit me
pater meus, timeo, ne putet me sibi voluisse illudere, & in-
ducatur super me maledictionem pro benedictione.

XXIV.

Tres insignes virtutes quarti precepti, utpote fructus &
ardentissima fidei, in hac juvenis responsione emi-
cant. Primò enim intelligit utrumq; parentem suo honore
afficiendum, ideò sic obedire dubitat matri, si de p re de-
beat patrem. Ut enim non deserenda lex matris, ita audien-
da disciplina patris, Prov. 6, 10. Leu. 19. 3. Deinde non ca-
sa est in illo obedientia, sed impendentis periculi provida,
Proverb. 22. Deniq; modeste interrogat, non contumaciter
repugnat, Syr. 3. Convitium proinde est, quod Calvinus scri-
bit, Iacobum patris potius iram, quam Deum reformidasse.
Cum enim metuit, ne pro benedictione maledictionem sibi
accersat, ad Deum profectò respicit, qui nisi aliquem odio
prosequatur, inanes sunt hominum imprecationes.

XXV.

Ita verò filiali reverentia in religionis quoq; mysterijs
discendi causâ percontari, non autem contradicendi pertina-
ciâ repugnare licet, Luc. 1. Ioh. 3. Ioh. 6. Act. 17. Frustra pro-
inde Calvinus cavillatur, hanc dubitationem Iacobi valde
contrariam fuisse fidei. Imò maxime consentanea: Scire
enim debemus, quid credamus, 2. Timot. 1, 12. Frustra verò
idem in absoluta adoptionis seu electionis gratia causam ri-
matur, ob quam Iacobus licet fide, ut ille ait, destitutus, nec
tamen prorsus vacuus, misericordia Dei non exciderit. Fla-
grantem etenim eius fidem virtutes testantur. Fide proin-
de, non absoluto favore inter electos est, Eph. 1, 9. 1. Cor. 1, 21.

Virtutes Ia-
cobi,
1.
2.
3.
Fidei est per-
contari non
pertinaciter
reluctari.

XXVI.

Esaui complexio.

Rectè autem dicit Syracides cap. 19, 26. Ex visu cognoscitur vir. Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo. Nam Esavus ut asper & belua instat hirsutus erat corporis, ita truculentus animo. Quin eleganter Cyrillus Hierosolymitanus quoque arguit Catech. 15. Esau erat asper in pilis, & in mente vilis, qui pro esca vendidit primogenita.

Quæstio tertia, de $\omega\lambda\eta\sigma\phi\omicron\sigma\iota\alpha$ Rebecca.

XXVII.

Mater ut omnem scrupulum filio eximat, hoc illi patet respondet: Super me sit, ait, ista maledictio, fili mi: tantum audi vocem meam, & affer, quæ dixi.

XXVIII.

Rursum hinc, juxta Calvinum, peccat Rebecca, quod ita præcipiti zelo ardet, ut non expendat Deo improbari, quod male tentatum prosequitur: hæc ille, & multò etiam graviora ibidem.

XXIX.

Sed cum institutum pie matrone à spiritu sancto profectum sit, quod ex oraculo, èq; felici successu, & approbatione Isaaci, Deiq; ipsius, luce meridiana clarius est; quid aliud est mira sanctorum opera vituperare, quam Spiritum sanctum, qui ea efficit, convitijs incessere.

XXX.

Rebecca per prophetiam occisa.

Rectissime autem ait Procopius: Rebecca prorsus confidebat promissioni divinæ, quæ ita sonabat: Maior serviet minori. Et Chaldeus paraphrastes ita hunc locum vertit, quod mater dixerit: Per prophetiam mihi indicatum est, se benedictum, non maledictum iri. Hac proinde fiducia facit, ut eventum Deo committat, imò ut presentem quasi intueatur, Ebr. 11.

Quæ-



Quæstio quarta, de ascitio ha-
bitu Iacobi.

XXXI.

Haëtenus $\omega\alpha\sigma\sigma\alpha\kappa\epsilon\upsilon\eta$ fuit, iam actio ipsa sequitur. Vide
verò muliebrem prudentiam. Sic enim filium instruit, ut
omnes patris sensus, unico saltem aurium excepto, fallat.
Nam ut olfactui imponat, idcirco Esavi preciosas vestes, quas
domi sua habebat, Iacobo induit, ut è versu 27. appareat.

Vestes Esavi
Sacerdotales.

XXXII.

Vestes appellantur תִּמְרוֹת desiderabiles, sicut Daniel
ab angelo vir desideriorum, & panis desiderabilis, id est, ad-
modum preciosus nuncupatur. Rabini, perhibente Hieronymo
in quest. hebraicis, tradunt primogenitos functos officio Sa-
cerdotum, & habuisse vestimentum Sacerdotale, quo induti
Deo victimas obtulerint, antequam Aaron in Sacerdotem
eligeretur, quod nos cuiq; estimandum relinquimus.

Vestes Esavi
cui à matre
asservatae.

XXXIII.

Qui factum, quod vestimenta preciosa Esavi penes ma-
trem fuerint, incertum. Thargum Jonathani culpam in su-
perbiam & negligentiam uxorum Esavi rejicit. Sin verò
vestes istæ fuerunt sacra, consentaneum est, piam matronam
noluisse illas in impiarum mulierum, Gen 26. 34. 35. manus
pervenire, ne religioni illudere ulla occasione possent.

Pellis agnina.

XXXIV.

Porrò cum Iacobus de cutis sua glabritie ac levitate, qua
dissimilis erat Esavo, monuerit, mater hac in parte ad deci-
piendum patriarcha tactum exuvys agninis utitur, quibus
manus & collum Iacobi vestit, ut ipse quoq; pilosus & hirsu-
sus videatur.

B 2 35. Emergit

XXXV.

Emergit hinc questio, quid Christiano statuendum sit de vestitus & habitus mutatione, liceatne homini pio habitu peregrino alium se, quàm sit, representare?

XXXVI.

Ascitio & simulato habitu licet uti duobus temporibus.

Quod autem antea de fictione & simulatione dictum est, idem huc quoque transferri potest. Nam personarum fictio quandoque est necessaria, ut hoc loco in Iacobo, & in Gabaonitis Ios. 9, in Dauide coram rege Achis 1. Sam. 21, in Michole uxore Davidis, qua statuam pellibus indutam in locum mariti reposuit, 1. Sam. 19. in Propheta illo, qui Achabum ob intempestiuam clementiam erga regem Syria oraculi iussu obiurgaturus facie vulneribus livida & pulveris aspersione facta rem egregiam commentus est 1. Reg. 20.

XXXVII.

Ludi Senici quo habendi.

Aliquando etiam personæ sunt: honestæ recreationis gratiâ concessa est: utpote in castis & sobrijs comædiarum & tragædiarum actionibus. Si enim absit obscenitas & turpis εὐτραπελία καὶ μωρολογία Eph. 5. 3. non prohibita, sed diuinitus indulta est Christianis moderata hilaritas Eccl. 3.

XXXVIII.

Plerique patres in exagitandis ethnicorum scenicis ludis longius, quàm par erat, progrediuntur, adeo ut Lactantius nullam corruptelam vitiosorem, quàm quæ est in scenis, affirmet, Chrysostomus hom. 6. in Matth. theatrum diabolicam officinam nominet, & Augustinus lib. 1. Confess. cap. 5. inter alia inuentutis suæ delicta non dubitet numerare & istud, quod Terentij aliorumque poetarum fabulas didicerit, & denique lib. 1. de Civit. Dei cap. 31. 32 & lib. 4. cap. 26. in scenicas actiones gravissimè invehi non vereatur.

XXXIX.

Præter necessitatis & licite hilaritatis tempora multis
larvas



larvas & insuetum habitum levitate quadam cui etiam doli
& insidiarum causa usurpant, multa quoque faciem minio fu-
roque pingunt: quae consuetudo merito vituperatur.

XL.

Primum enim hac vanitatis & levitatis monstra non
aliunde, quam ab ethnica idololatria, ut Cyprianus ait, prove-
nerunt. Cyprian. tom. 3. epist. 1. de spectacul. in Bacchi siquidem
Orgijs larvati incedebant, ut ex poeta 6. Metamorph. & 4.
nec non 3. Fastorum, Herodoti quoque Euterpe, Polydori lib. 6.
cap. 20, Lactant. 0 lib. 6. de vero cultu cap. 20, luculentissime
apparet. Quare ut Diaboli inventa sunt fugienda.

Contra larvas
vationes.

1.
Larvae sicut ve-
liquae idolatri-
corum & im-
piorum
Bachanalium
& lupercalium.

XLI.

Deinde personati manus Deo inferre videntur, quando
id, quod ille formavit ad imaginem suam, reformare vel, ut
rectius dicam, deformare in larvam Satanae & Satyri non e-
rubescunt, ut argumentatur Cyprianus in libro de discipl. &
hab. Virg. & repetit argumentum Augustin. serm. de
temp. 247.

2.
Imaginem Dei
debonestant.

XLII.

Adhuc fictio talis Christiana sinceritati & candori pluri-
mum adversatur. Num sinceritas perseverat & veritas,
quando quae sincera sunt, polluuntur colorum adulterijs?
iuxta Cyprianum; cui subscribit Tertullianus: & Nicepho-
rus lib. 6. cap. 17. historiam de Judeo quodam, qui se mor-
tuum simulavit, divinitus ita punito, ut verè mortuus in-
veniretur, annotavit.

3.
Veritatem &
candorem vio-
lant.

XLIII.

Præterea Deuteron: 22. eiusmodi adulterinus habitus
severè prohibetur, ubi maledictus pronunciat vir, qui mu-
liebri veste induitur, quem textum Tertullianus & Proco-
pius de personatis disertè exponunt.

4.
Divina lege
prohibita sunt.

XLIV.

Et nonne cum psaltes nos hortatur, ne fiamus sicut equus
& mulus, quibus non est intellectus, Psal. 32, merito Augu-
stini

5.
Hominem in
Bestiam com-

mutatum in-
dicant. stini querelam è Psalmo 48. depromptam reperimus? Homo
cum in honore esset non intellexit, comparatus est non tan-
tum mulieribus, sed etiam iumentis insipientibus, imò
stultis & diabolis.

XLV.

6.
Varia flagitia
occultantur. De sceleribus blasphemia, horrendarum execrationum
iniquissima alea, turpissima lascivia, & similibus, quae larvis
occultantur, Cyprianus in libro de aleatoribus consulatur.

XLVI.

7.
Diaboli sicut
inventum. Quis verò non cohorrescat ad larvarum intuitum, cum
recordatur, diabolum hoc artificium invenisse, cui familia-
re est se in angelum lucis permutare. 2. Cor. 11, qui serpenti-
na specie primos parentes decipit, Gen. 3, qui leonum, urso-
rum, aprorum, equorum, canum, felium, murium, suum,
muscarum, lapidum, arborum, fluminum, fontium aliarumq;
rerum simulacra indutus varia saepe machinatus est, ut tum
sacra tum prophana historia testantur, Cyrill. contra Julian.
l. 3, Job. Finel. l. 1, Vit. Pat. de Horo. & S. Macario, qui
Samuelem mentitus est, & cuius deniq; proprium est men-
tiri Ioh. 8, prestigijs, signis atq; portentis falsis homines de-
cipere, 2. Thess. 2.

XLVII.

8.
Horrendis pe-
nis affecta. Concionatoris non disputatoris foret exempla panarum
sanè horrendarum commemorare, quibus personati divini-
tus correpti sunt. Saul commutato habitu diaboli ministrans
fallere cupiens à diabolo simili ~~varisq;~~ deluditur & tragi-
sum sortitur exitum; idè evenit Achabo, dum in fraude Iosa-
phati vestem mutat 1. Reg. 2. 20. Tertullianus mulierem à spe-
ctaculo reversam linceo, quo mimus faciem texerat, secun-
dam quietem ost. nso adeo perterritam, ut quinto die expira-
ret, commemorat. Quid de Iesabelis 2. Reg. 9. de Caroli VI.
Gallorum regis, (de quo Fulgos:) de Comitum trium in arce
Valden.

Ualdenbergensi, qui anno 1570. in larvis perierant, quid de
aliorum miserabili interitu diceremus?

Quæstio quinta de ijs, quæ Iaco-
bus coram patre dixit &
egit.

XLVIII.

His expeditis facile est censere de reliquis, quæ Iacobus
coram Isaaco dixit & egit. Ac Calvinus quidem de eo, quod Calvinus Iaco-
Iacobus patri, quis esset, percontanti respondit, Ego sum E- bi mendacia
sau primogenitus tuus &c. Ita scriptum reliquit: Prius ti- exaggerat.
midus & anxius erat hic minor filius, nunc deposito metu au-
daçter & secure mentitur. In deq; locum commune te-
xit, quod hoc exemplo pateat, ubi quis semel legitimos offi-
cij fines transgressus est, nullum esse licentia modum.
Hæc ille.

XLIX.

Cui verò opinioni ea solidissime opponuntur, quæ supra
commemorata sunt. Nam Theodoretus ita habet: Emerat pri- Iacobus non
vilegia primogenitura: verè igitur seipsum appellabat pri- mentitur.
mogenitum: quest. 80.

L.

Nec opus nobis est Augustini excusatione, qui aliter Ia- Augustini duo
cobum tueri non potest, quàm quod hæc in mysterio facta & effugia irrita.
typica fuisse libro contra mendacium ad Consentium cap.
10. tradit.

LI.

Nihil etiam in ea distinctione firmamenti inest, quod
idem Augustinus libro eodem cap. 10. & Gregor. lib. 18. mor:
cap. 3. existimant licuisse sub veteri testamento mentiri,
non licere in novo, postquam à Christo dictum sit: Sermo ve-
ster

ster sit ita ita, non non. Eadem enim lex veteres etiam ob-
stringebat.

LII.

Ac quod de ista Iacobi assertione, qua se Esavum primo-
genitum profitetur, dictum est, idem de altera quoque, qua sibi
ab Isaaco patre venationem iniunctam, de qua tertia, qua se
venatu pradam acquisivisse & ferinam in manibus portare,
de qua quarta, qua benedictionem sibi promissam simulat, statui
debet, quod nimirum hac omnia, licet humane rationi vi-
deantur stulta, imò mendacia, heroica tamen fidei preclara
sint opera.

LIII.

Interim Augustini admonitio indicato in libro cap. 14.
quod eiusmodi singularia exempla sanctorum non sint in imi-
tationem trahenda, omni cura observari debet. Nititur enim
Iacobus oraculo & Spiritus sancti per matrem peculiari in-
structione, quod reliquis non contingit. Itaque non specialibus
exemplis, sed communi regula vivendum est.

Specialia san-
ctorum exem-
pla non consti-
tuunt univer-
salem canonem.

Quæstio sexta, num Isaacus sciens an igno-
rans Iacobo benedixerit.

LIV.

Hæc de Iacobo: iam ad Isaacum accedimus, de quo inter-
rogatur, num sciens an ignorans Iacobum benedixerit? Quod
enim animadvertit, eum, qui benedictionem prior petebat,
esse Iacobum, duabus rationibus constat. unam temporis sup-
putatio, alteram auditus illi suppeditabat. Nam Rebecca ni-
mium festinando non animadvertit, feram adeo prope-
ranter foris capi, domi coqui non posse. Iacob autem cetera e-
coctus vocem fingere neglexerat. Festinationem tamen Ia-
cobus divina providentia, utcunque excusat, sed ad vocis ob-
servationem quod respondeat non invenit. Sic enim pater:
manus

manus ha sunt manus Esau, sed vox haec est vox Jacobi: ver-
su 22. 23. 24.

LVI.

Contra verò, quod Isaacus non agnovit Iacobum, hic
expressè scriptum est: Non tamen agnovit eum, eò quod es-
sent manus eius similes manibus Esau pilosa &c.

LVII.

Hæc ideo queruntur, ne Isaacus, si sciens neglexit Esavum,
falsa promissionis & simulati postea doloris, sin inscius bene-
dixit Iacobo, ne temeritatis in re divina arguatur, scriptura
ἐπιλογίᾳ convincatur.

LVIII.

Parata autem responsio, quod è coniecturis quidem illis,
quas diximus, suspicionem & ἀμυδρὰν γνώσιν obscuram
quandam notitiam Jacobi conceperit, ad plenam autem fir-
mamq; scientiam, quæ κατὰ ἀλήθειαν pura putaq; dicitur agnitio,
pervenire nequiverit. Atq; ideo excusationem velocitatis
sic interpretatus est, quod ad promovendum opus divinitus
id contigerit: auribus autem circa vocem se falsum esse sibi
persuasit.

LIX.

Inde verò aliud emergit ζήτημα difficultius. Quando-
quidem Isaacus sciens volens in sententia sua de benedicen-
do Esavo perseverat, quæ oraculo è diametro repugnabat, quomodo non peccatum contra conscientiam commiserit, spi-
ritumq; sanctum eiecerit?

Rationes, quod
Isaacus oracu-
lum sciverit.

LX.

Ac quod Isaacus non prorsus ignoraverit Oraculum,
cuius de sententiâ Jacobus erat benedictionis heres institu-
endus, istæ rationes evincunt. Primum enim Oraculum per
se satis erat perspicuum: maior serviet minori.

LXI.

Deinde dubium non est inter pios coniuges, quoties pro-
missi Messia incidit mentis, quæ profectò quotidie occurrit,
C amicè

1.

2.



amicè disputatum fuisse, ex utro filiorum Semen illud benedictum expectandum esset, & Rebecam quidem oraculum, Isaacum ὡς ἔστιν ἱστορικῶς ἔρρηξεν: de quo pro parentum certamine piè Ambrosius lib. 2, de Jacobo cap. 2. eleganterq; disserit.

LXII.

3. Præterea efferi mores & in primis contracta cum Chæteis & Chananeis connubia satis liquidò ostendebant, ab ipsius genealogia Christū expectari non posse: præsertim cum Isaacus probè sciret, sibi hanc ipsam ob causam à Chananeorum conjugio abstinendum fuisse.

LXIII.

4. Accedit insuper, quod supina hæc esset & affectata ignorantia, si patrem diceremus, annos adeò multos non inquisivisse, quid matri olim partui vicina inq; periculo vitæ constituta divinum oraculum de fœtu responderit.

LXIV.

Isaacus oraculum non satis assecutus est intellectu.

Verùm istæ rationes nihil evincunt amplius, quàm Isaacum notitia oraculi οὐκ ἐπέγνω & confusa, minimè exquisita præditum fuisse. Scivit equidem, non autem satis intellexit: imò vel in utero impletū, vel alio modo implendum existimavit: quod autem suam benedictionem illi non adversari persuasum habuerit, certum est.

LXV.

1. Scivit enim non esse sapientiam, non consilium adversus Deum, Proverb. 21: Scivit etiam frustra fore suam benedictionem, nisi Deus ratam haberet. Sacerdotis enim est benedicere, Dei est effectum tribuere benedictionis, ut ait Alcuinus Caroli magni magister quest. 225. Deniq; ipse testatur se nolle δεομαχῆν, cum factâ benedictione ait: benedixi ei, & erit benedictus.

LXVI.

Ex quibus concluditur, erratum esse ignorantia, non peccatum petulantia: Sicut etiam argumentatur Theodorētus quest.

quest. 79. & Augustinus libro 16. de Civ. D. c. 37. & , quod
omnium est evidentissimum, benedixit Isaac Iacobum &
Esavum ex fide Ebr. 11.

Quæstio septima de benedictione.

LXVII.

Sequitur jam ipsa εὐλογία & benedictio, quam sicut fide
impertit Isaac, ita fide accipit Jacob Ebr. 11.

LXVIII.

Et digna est admiratione Iuuenis fiducia, qua ostendit,
quibus incrementis scintilla fidei in priorum animis proficere
& augeri soleat. Principio hesitabat, postea matris obtempe-
rabat, tandem negotium plenus spe aggrediebatur, iam bene-
dictionem hilari animo attendit.

Fidei incre-
menta.

LXIX.

Hoc nimirum est, quod Gregorius ait in mor: In via Dei
à timore incipitur, ut ad fortitudinem veniatur. Nam sicut
in via seculi audacia fortitudinem, ita in via Dei audacia
debilitatem, ita in via Dei timor fortitudinem gignit.

LXX.

Postquam igitur Iacobus patri cupedias à matre paratas
exhibuisset vinumq; præbisset, & ille suaviter pransus recre-
atusq; esset, quod Hippolytus martyr apud Hieronymum τῶν ἱερῶν
ad agnum illum, qui pro peccatis mundi occisus est, referens
ait, hostia placens Deo, salus est peccatorum: His, inquam,
pransactis accingit se vir Dei ad benedictionem, quam ab
osculo aspiciatur. Dixit enim Isaac pater eius, accede nunc,
& osculare me, fili mi: qui accessit & osculatus est
eum.

LXXI.

Est osculum fraudulentum, de quo sapiens: meliora sunt Osculum
vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis Prov. Isaaci.
27. 6. quale erat Ioabi 2. Sam. 20. 9. 10. & Iudæ Matth. 26.
49. Sed hoc nequaquam est tale.

C 2

72. Sed

LXXII.

Sed hoc osculum est sanctum, de quo Rom. 16. 16. salutate invicem in osculo sancto, & 1. Cor. 16. 20. 2. Cor. 13. 12. neque sanctum modo, quo etiã equales se mutuò complectuntur, sed paternũ & sacerdotale, quali Christus Ecclesiam, Sponsam suã, Cant: 1. 1. & infantulos Marc. 10. 13. omnesq; miseros peccatores vera fide ad ipsum confugientes excipit: Luc. 15. Matth. 11. Ioan. 12. 32.

LXXIII.

Senex oculis captus, gustu, tactu, auditu deceptus, divina, ut existimat Hieronymus ad Damasum, dispensatione, suoq; & Ecclesie commodo, solo olfactu & mente sibi constabat. Odorem itaq; & fragrantiam preciosarum vestium, quam odorifera materia panno de more illarum regionum intertexta spirabat, percipiens, benedictionem hac gratulatione orditur: Ecce odor filij mei, cui benedixit Dominus, sicut odor agri.

Odor vestium
Iacobi.

LXXIII.

Sunt qui tantum de odore vestium, quibus Iacob amictus erat, orationem hanc interpretantur, quasi indicare voluisset, non olere illum caulam, sed agrum, atq; hoc indicio certò se cognoscere, non Iacobum sed Esauum esse, cum ille domi, hic in agro vitam ageret. Sed non est verisimile Iacobum sordidas operas ancillarum & seruulorum obijisse, ut pedorem caule, si miq; redoleret, neq; verò vestes illas Esauus usurpabat, cum agriculturam exerceret; condite enim erant apud matrem. Adhuc Isaacus non tam de vestium, quàm de ipsius Iacobi fragrantia verba facit: Odor filij mei, inquit, cui benedixit Dominus.

LXXV.

Continet autẽ comparatio partim rem, partim typum. Res ita habet, quod odore fertilis agri, presertim in Orientalibus regionibus

Odor agri.

regionibus, non modo nihil jucundius, sed nihil etiam salu-
brius, nihil denique utilius. Cum varia fruges non evani-
dum vaporem solummodo spirent, sed vita sustentanda neces-
saria suppeditent, sitque odor ille non arte factus, sed natus.
Cum eo proinde fragrantiam filij sui confert: fragrantiam,
inquam, non tam corporis, quae naribus hauriebatur, quam a-
nimi, quae mente percipiebatur, & non tam virtutum, ut cen-
set Ambrosius, quam fidei, quae virtutum scaturigo est.

LXXVI.

Quod enim de hac Spirituali potissimum fragrantia lo-
quatur indicio est, quod causam eius efficientem nominat Do-
mini benedictionem, ea siquidem facit, ut simus in Christo bo-
nus odor Deo 2. Cor. 2.

LXXVII.

Typicum in hoc odore est, quod per Iacobum Christus, Christus bonus
odor Patris.
praefiguratur, qui se ipsum tradidit pro nobis sacrificium & ho-
stiam Deo in odorem bonae fragrantiae Eph. 5. 2. In hoc agro,
inquit Ambrosius, una illa reperitur, quae expressa sanguinem
fudit, mundum diluit.

LXXVIII.

Benedictio tria bonorum genera complectitur. Corpora-
lia & ad praesentem vitam pertinentia sunt, partim acono-
mica, partim politica. Ad rem familiarem pertinet, quod
rorum caeli, id est, ἕσπερος ἡ καὶ ὀρεὶς καὶ ποταμοὶ Act. 14. 17. &
variā pinguedinem terrae frumenti, & musti copiam, id
est, tale solum, quod rebus omnibus ad vitam necessarijs abun-
dat, qualis terra promissa Deuter: 8. 8, ex animi voto optat
si nullo promittit. Hebraea enim phrasim utrumque significat, vo-
tum & vaticinium,

Benedictio
Iacobi.

LXXIX.

Politica verò eminentia istis verbis continetur: Serui- Politica emi-
nentia Iacobi.
ant tibi nationes, & incurvent se tibi populi, seu adorent
te populi, ut habet Onkelana paraphrasis, vel ut Graeca,

πρὸς κωνσταντῖν τοῖς ἀρχούσις, adorabunt te principes, quæ adora-
tio politica & civilis est, impleta in Iosua, Dauide, Salomone,
Iosaphato, Ezechia, Iosia, &c.

LXX X.

*Ecclesiastica
prærogativa
Iacobi.*

Restant Ecclesiastica & Spiritualia privilegia, de quibus
ait: esto dominus fratrum tuorum, & venerentur te filij ma-
tris tuæ? Hac enim sententia Iacobo jus primogeniti, quod sa-
cerdotium & principatum inter fratres complectebatur, de-
dicat.

LXX XI.

Quamobrem non solum externam reuerentiam Iacobo
exhibendam, sed potius animi fiduciam in Christū è Iacobi po-
steritate proditurū collocandā hisce verbis pater σὺ κωνσταντῖν
νοῦ τυπικῶς innuit, sicut postea cap. 28. 4. ipse suorum v. rbo-
rum genu: nam significationem exprimens, ait: Det tibi Do-
minus benedictionem Abraham. Fuit autem benedictio A-
braha ista: In semine tuo benedicentur omnes gentes terre et
Deo ipse Gen. 28. 14. Benedicentur in te omnes familiae terre,
& in semine tuo.

LXXX II.

*Benedictioni
addita crux.*

Comminatione tandē hanc suam & precessionem et pro-
phetiam concludit: maledicentes tibi maledicti erunt, bene-
dicentes benedicti, prorsus eodem modo & sensu, quo Deus A-
brahamo dixerat Gen. 13. 35. Benedicā ijs, qui benedicent tibi,
& qui maledixerit tibi, eum execrabor, id est, communes te-
cum habebō amicos & inimicos.

LXXX III.

Pronunciat autem hisce verbis pater filio crucem,
odia videlicet Diaboli & mundi, simulq; suppeditat validis-
simam consolationem ab auxilio & favore Dei, cuius nutu
hæc vota rata erant futura.

LXXX IIII.

Allegorica huius εὐλογίæ interpretatione qui dele-
tatur, Theodor: quest. 81. Epistolam Hieronymi ad Dama-
sum

sum, questione tertia, in qua Hippolyti martyris explicatio-
nem commemorat, Ambrosium libro 2. de Jacobo cap. 2.
Augustinum libro 16. Civit. Dei cap. 27. Cyrillum libro 10.
in Genes. aspicere potest.

Quaestio octava, de reditu Esavi.

LXXXV.

Quis porro non miretur, ut exclamat Chrysostomus,
ineffabilem Dei providentiam, quod Esau non prius redit,
quam absolveretur actus superioris argumenti: cum enim
absolvisset Isaac benedicere Jacobo, vixq; egressus fuisset Ia-
cob à conspectu Isaac patris sui, Esau frater eius venit à ve-
natione sua. Quare hoc etiam est argumentum, gesta hæc
fuisse non humanis consilijs, sed Dei gubernatione.

LXXXVI.

Quod autem Esau cibum multo labore questum & ope-
ra proculdubio impiarum conuicium paratum frustra patri
adfert, suisq; lautitijs post festum, ut dicitur, venit, id sanè
iuxta Cyrillum insignis typus est refectionis populi Judaici
& vocationis gratuita gentium. Primi hic sunt ultimi, &
ultimi primi Matth. 8, & non est volentis neq; currentis,
sed Dei miserentis Rom. 9. Atq; huc spectat parabola de duo-
bus filijs, quorum prior mandato paterno annuit, sed non
facit, alter renuit, tandem verò exequitur. Matth. 21.

Typus reprobationis Iudeo-
rum & voca-
tionis gentium.

LXXXVII.

Perinde enim ut Esavus feram studiosè persequens be-
nedictione interim spoliatur, & Iacobus citra ullam defati-
gationem ex mera gratia illam acquirit: Ita gentes, quæ
non sectabantur iustitiam, adeptæ sunt iustitiam, iustitiam
autem fidei: Israël verò persequens legem iustitiæ, legem
iustitiæ non assecutus est Rom. 9. 31.

Quæ-

Quæstio nona, de consternatione Isaaci.

LXXXVIII.

Isaaci
ἐκστασις.

Cum autem Esau patri, quis esset, interroganti, responderet: ego sum filius tuus, primogenitus Esau, expavit Isaac pavore magno vehemensissime, quæ verba græci ita reddiderunt, καὶ ἐξέστη ἐκστασιν μεγάλῃ σφόδρα. Et sanè ἐπιμονὴ ostendit non fuisse consuetam hanc consternationem, sed peculiaris, qua tanquam freno patriarcha cohibetur, ne benedictionem retractet.

LXXXIX.

Vnde Augustinus lib. 16. Civit. D. cap. 27. bene ratiocinatur, Isaacum, Spiritu sancto novam intus lucem accendente, animum, quo in Esavo antea hærebat, subito mutasse. Miratur, inquit, & quisnam ille sit percontatur, nec tamen se deceptum esse conqueritur: imò confestim revelato sibi intus in corde magno sacramento devitat indignationem, confirmat benedictionem.

XC.

Et videtur Laban Gen: 31. 42. hanc ἐκστασιν intelligere cum pavorem Isaac sibi adfuisse & ab iniuria Jacobo facienda cohibuisse testatur.

XCI.

Quamobrem etsi hebraeus textus ita habet, quod Isaacus dixerit: Venit frater tuus בְּמַרְמָה in dolo seu dolose, quod ψεκτικῶς inq. vituperium accipi videtur: attamen rectè illud transtulit Chaldaea paraphrasis בְּחַכְמָה in sapientia, seu prudentia. Licet eadem vox בְּמַרְמָה aliquando etiam per clam, latentè & occultè reddatur, significatione media. Si enim dolo malo sibi extortam putasset benedictionem, nullo modo statueret, illam esse coram Deo ratam, cum ait, benedixi cum, & benedictus erit.

XCII.

Quem.

Quemadmodum igitur consternatio Isaaci nos docet, De-
am animos flectere, 2. monentiq; & trahenti Deo non esse
pertinaciter repugnandum, Iob. 6. 3. peccata per ignorantiam
commissa emendanda: Ita constantia Isaaci in asserendo fa-
cto monet, 4. κασιματα Dei esse ἀμεταμέλητα, 5. et que solvun-
tur atq; ligantur in terra, soluta ligataq; esse in caelo Iob. 20.
Nec humana voluntate esse retractanda, qua divina guber-
natione sancita sunt.

XCIII.

Quærit tamen hic non abs re Damasus papa, num bene-
dictio per errorem persona prolata efficax esse potuerit? Cui
pul. rē respondet Hieronymus: nullum hominem, excepto eo,
qui ob nostram salutem carnem est dignatus induere, pl. nam
habuisse scientiam & certissimam veritatem, & nihilomi-
nus Sacramenta ab Ap. stolis & Prophetis administrata
& benedictiones ab iisdem collatas efficaciam suam habuisse
à Deo.

Benedictio per
errorem collata
contra benedi-
centis mentem
efficax.

XCIV.

Nam efficacia verbi & Sacramentorum non ab admini-
strantis scientia, pietate, dignitate, sed à virtute Dei depēdet
ac promanat. 1. Cor. 2, 7. Neq; idcirco substantia Sacramen-
torum qui quam decedit, licet, qui ijs utitur, fraudulenter
agat Act. 8. 1. Cor. 11.

Quæstio decima, de clamore, indignatione
& iniqua flagitatione Esavi.

XCIII I.

In Esavo, cuius persona etiam est consid. randa, multa
peccata concurrunt: que omnia animum vera fidei vacuum
declarant, quorum enumeratione supersedemus.

XCIV.

Recte proinde Esavum apostolus Ebr. 12. 16. nominat
βέβηλον, id est, profanum rei q; sacra contemptorem. Sic enim
ea vox usurpatur, 1. Tim. 1. & 4. & 6. 2. Tim. 2. Act. 24.

XCVI.

Esauus pœni-
tentia locum
frustra qua-
rens.

Ac cum salvifica fide veraq; pœnitentia nunc destitua-
tur, non est quod insulsi quidam sententiam Ebr. 12. modo no-
tatam pro stabilienda absoluta reprobatione in medium pro-
ferant, et ineptissima interpretatione corrumpant, quasi Esauus
licet verè pœnitens remissionem peccatorum apud Deum in-
venire & obtinere non potuerit. Si enim abiectus est Esau,
quod nos in dubio relinquimus, siquidem postea pœnitentiam
agere potuit, ut Gen. 33. audiemus, certè non absoluto Dei odio,
sed ob incredulitatem abiectus est, juxta generales sententias
Ezech. 18. 33. Os. 13. 2. Petr. 3. 1. Tim. 2. Ioh. 3.

XCVII.

Certum autem est apostolum illic (Ebr. 12.) ad presentem
historiam respicere & hoc indicare: Esauum hominem pro-
fanum multis lacrymis patrem obtestatum esse, ut pœniteret
ipsum collata in Iacobum benedictionis, sed repulsam à Pa-
tre tulisse.

XCVIII.

Qua interpretatio tam est evidens, ut Beza quoq; ineptos
dicat, qui eum locum de eterna Esau reprobatione exponunt.

XCIX.

Porro insanus Esau clamor insignis figura est monastica
rum vociferationum, quibus monachi & nonne efflicti di-
vos divasq; compellant, diesq; ac noctes corpus ieiunijs & ora-
tionibus macerant, ut D. Lutherus docet.

Quæstio undecima de benedictione Esau.

Montes Seir
pars Arabia
petraeae, quomo-
do dicantur
pingues.

100. Clamoribus hisce motus Isaacus, Esauo quoq; omnia fau-
sta precatur, ut pater, non ut sacerdos, & qualis tum ipsius
tum posterorum futura sit cõditio, prænūciat. Ac principio de
re economica vaticinatur: Ecce in pinguedinibus terræ erit
habitatio tua, & de rore cœli desuper.

101. Neq;

101. Neq. huic promisso adversatur, quod Malach. 1.4. scri-
ptum est: Esauum odio habui. Ideo posui montes eius in deso-
lationem & possessionem eius draconibus deserti.

102. Loquitur enim Dominus de Idumaea, qualis erat re-
spectu terrae Chanaan, & maxime post vastationem diuinitus
immissam: Interim cum alijs regionibus maxime sterili.
solo Arabiae petrae, collati montes Seir satis fertiles fuerunt

103. Deinde Isaacus politicum axioma & ius atq. potesta-
se gladij Esauo hisce verbis adsignat. In gladio tuo vives. V. ^{Esau ius gladij}
^{sortitur.}
rramq. enim jurisdictione gladij q. usurpationem, castrensem
nimirum & civilem complectitur.

104. Tertio Isaacus perspicuis verbis indicat, se iam oracu-
lo assentir & illud olim in posteris implendum intelligere, ^{Idumaei Iudaeis}
cum ait Fratri tuo seruias. Nam in persona Iacobi & E- ^{subiecti.}
sauo hoc impleri non est, cum Iacobus paulo post e Mesopotamia
redes Esauo supplex cum uniuersa sua familia futurus sit Ge. 33.

105. Dauidis autem tempore Idumaei facti sunt Iudaeae
genti tributarij: 2. Sam. 8. 14. 1. Reg. 11. 1. 14. 17. 2. Reg. 8. 21. 1.
Paral. 18. 11. 13. 2. Paral. 25. 14. Vnde extat $\epsilon\pi\iota\upsilon\iota\alpha\sigma\iota\omicron\upsilon\pi$ à Spiritu
sancto conditum Psal. 60. & 108, supra Idumaeam extendam
calceum meum.

106. Significat autem porro diuinum oraculum per Isaa- ^{Idumaei quo}
cum, seruitutem istam non fore perpetuam, sic enim porro in- ^{paeto iugum}
fert: Eritq. quando dominaberis, & rumpes iugum ^{regum Iudae}
eius de collo tuo. ^{excusserint.}

107. Nam propter Iudaeorum peccata, deserente eos
Domino, Edomita non modo postremis temporibus Salomonis
duce Adado rebelles facti sunt 1. Reg. 11. 14. & postea sub rege
Ioramio penitus defecerunt 2. Reg. 8. 22. & sub Achaso cladem
regno Iudae intulerunt 2. Paral. 28. 17. sed cum Iechonias Babylone
abduceretur, ipsi inter primos fuerunt, qui flammam tem-
plo inferrent, & funditus destruendum esse suaderent Psal.
137. 7. 3. Esdra 4. 45.

108. Et

108. Etsi autem post reditum è Babylone Judas Macca-
baus illos vicissim domuit, nec non Johannes Hircanus:
qui subiugatis omnibus Judæis edixit, ut circumci-
derentur: atq; ex eo tempore circumcisionem & reliquas
iuxta Judaicos mores vivendi formulam admittentes inter
Judeos censeri cepti sunt, Joseph. lib. 13. cap. 17.

109. Attamen redacta Iudæa in Romanorum potestatem,
regia Iudæa dignitas, qua Asmonæi seu Machabæi aliquandiu
usi fuerant, Antonio & Jul. Cesare procurantibus Senatus
consulto Herodi Antipatri Judæi filio contigit, Joseph. lib.
14. Antiq. c. 29. & lib. 1. bell. Judæic. ca. 11. Egesip. l. 1. c. 30.

Herodes Idu- 110. Factum id est Olympiade 148, ut tradit Josephus, id
meus Rex Iu- est, ante Christum natum anno 37. ac cum Herodes annos 40.
dæa, sub quo regnaverit, incidit conceptio & nativitas Christi in annum
nascitur Chri- trigesimum septimum regni Herodis.
stus.

111. Tunc itaq; vaticinium patriarchæ Jacobi Gen. 49.
impletum, & sceptrum de Juda ablatum Herodiq; Judæo
commissum fuit: ex quo sanè Iudæi, nisi prorsus excæcati
fuissent, colligere debuissent, Messiam iam adesse: cum utri-
usq; patriarchæ, Isaac videlicet & Jacobi prophetiam im-
pletam viderent.

112. Tunc enim Judæi non modo iugum excusserunt, sed
Regnum quoq; in Judeos obtinuerunt.

Quæstio duodecima, de odio Esavi adversus Iacobum deq; Rebeccæ consilio.

113. Esavus porrò propter benedictionem, qua Jacobo do-
minium erat assignatum, capitali odio adversus fratrem
exarsit, ita ut in corde suo diceret, id est, apud animū certò
statueret ac decerneret Iacobū se inzulare velle: appropinqua-
bunt, inquit, dies luctus patris mei: occidam enim Jacob fra-
trem meum.

114. Unde

114. Unde Esau malitiam, diaboli, qui homicida est, in Mine Esau
Ecclesia Isaaci cruentas molitiones, in animis impiorum poten- aduersus Isa-
tiam, Isaaci vero & Rebecca calamitatem, Iacobi denique peri- cium.
culum estimare licet.

115. Hoc parricidiale consilium divina providentia oc-
cultum manere non permisit: rumor enim eius continuo ad
Rebeccam emanavit, & verisimile est Esauum tanto flagrasse
odio, ut in minas prorumperet.

116. Augustinus sane quaest. 81. interrogat, quomodo an- Rebece indice
nunciata sint verba Esau Rebecca, cum scriptura dicat, hoc eum Deo occultum
in sua cogitatione dixisse: & respondet, quod hinc nobis detur conscia.
intelligere, diuinitus ei revelata fuisse omnia.

117. Sive autem *ἀπεσώθη* sive *ἀπέσθη* factum sit, certum est,
Deo sic moderante, ut Rebecca innotuisse, Deus enim consilia
hostium Ecclesiae mirabiliter saepe revelat & impedit 1. Sam.
19. 2. 2. Reg. 6. 11. Matth. 1. 13. Act. 9. 24. & 23. 15.

118. Omni vero laude digna est optima matrona *σοφία* &
reliquae virtutes, quarum hic contexi posset insignis catalogus.

CAPVT. XXVIII. Genes.

Thesis prima.

Quatuor sunt istius capituli membra: primo Iacob ab I-
saaco, benedictione iterata, mittitur in Mesopotami-
am conjugij causa: deinde indicatur petulantia Esau
in ducenda Ismælitica uxore: tertio visio Iacobi percensetur:
& denique quo pacto Iacob locum illum honorauerit, & voto se
Domino obstrinxerit.

Quaestio prima de Iacobo in Mesopotamiam dimisso.

2. Cum Isaacus equum censeret, uxoris petitioni annuere,
Iacobum ad se vocavit, ei quoque benedixit, non equidem novam be-
nedictionem impertiens & pristinam abolens, sed eandem con-
firmans, ne dubitationi locus esse possit, si forte Satanas obij-

ceret Iacobo, quod subreptitiè prior illa benedictio impetrata fueris.

3. Non minore autem cura parentes in id debent incumbere, ut liberi de suo baptismo contra omnem dubitandi occasionem sint quàm certissimi. Cum nemo in regnum caelorum possit ingredi nisi ex aqua & spiritu regeneratus Ioh. 3. & proinde de suo baptismo hesitantem de gratia quoque Dei & aeterna salute dubitare oporteat.

Baptismus ab
obstetricibus
administratus.

4. Quamobrem si contingat aliquem infantem in casu necessitatis ab obstetrice baptizari, iuxta constitutionem Electoralem fol. 24. & 309. & sententiam D. Lutheri tom. germ. 12. VVit fol. 178. id fieri debet.

5. Vero autem simile est Isaacum consilio uxoris de mittendo filio in Mesopotamiam tam facile assensurum non fuisse, nisi vel oraculo vel arcano numinis instinctu adductus fuisset. Quandoquidem in memoria habebat, quo pacto Abraham caverit, ne ipse nuptiarum causa eò rediret Gen. 24.

Padan Aram.

6. Mandatum, quo Isaac filium instruit prohibitionem & iussionem habet: prohibet enim connubium cum Chananeis mulieribus, iniungit autem ut in Padan Aram, id est, Mesopotamiam profectus, filiam Labani matrimonio sibi iungat. Aram enim Syria est, Padan partem Syria significat.

Consensus pa-
rentum in libe-
rorum connu-
bijs.

7. Ex quo iterum emergit solida probatio, quod liberi absque consensu parentum conjugium inire non debeant, qua de re capite 24. dictum fuit Exod. 22. 17. Ier. 29. 6. Coloss. 3. 20.

Schaddai.

8. Ipsa benedictionis formula eadem planè bonorum genera complectitur, quorum heredem Isaacus Iacobum supra instituit. Quod enim ait, Deus Schaddai, sive ab uberibus almus, sive omnipotens, ut communiter vertunt, sive autògenus, ut alijs placet, ille, inquam, verus Deus hoc nomine patribus cognitus benedicat tibi, id generale est.

9. Quod autem subiungit, crescite faciat partim ad familia

milia, partim ad corporis animiq; bona, nec non ad opes & di- Benedictionis
formula expo-
sita.
vitiis refertur. Benedictio siquidem Domini divites facit: & timentes Dominum non destituuntur aliquo bono.

10. Istud porro multiplicet te, ut sis in cœtū populorū non modo generis Israëlitiæ amplificationem, sed imprimis gentium ad Ecclesiam accessionem denotat, Gal. 3. Rom. 4. Act. 10.

11. Præcipuum κειμήλιον est benedictio Abrahamæ Gen. 12. & Messias ex
posteritate Ia-
cobi.
15. & 22. expressa de semine benedicto, eam deniq; Iacobo I-
sacrus propriam addidit, cum ait: Det tibi benedictionem
Abraham, tibi, inquam, & semini tuo tecum.

12. Ut autē semen illud benedictum ex Abrahami posterita-
te suo tempore oriri & pullulare possit, certo domicilio & ter-
ra opus erat, in qua expectaretur. Itaq; terra Chanaan A-
brahamo & posteris eius promissa iam spondetur Iacobo, à quo
beneficio Esau cum sua posteritate excluditur.

13. Iacobus etsi durum videbatur à complexu parentū dis-
cedere & in exilium abire, parentibus tamen citra o-
mnem tergiversationem libenter obtemperat, & sponta-
neum perpeti exilium mauult, quàm insidijs fratris domi ob-
iectus esse. Itaq; in Mesopotamiam ad Labanum profi-
cisitur.

Quæstio secunda de Polygamia Esau.

14. Moses subjungere volens narrationem de induc-ta Quas causas
habuerit Esau
noui conjugij.
tertia uxore Esau quatuor causas indicat, quibus Esau, ut id
faceret, adductus fuerit, quod ideo tam prolixè facit, ut dis-
crimen inter πολυγαμίαν sanctorum patrum interq; vagam
libidinem Esau & similiū declararetur: Prima erat benedi-
ctio Iacobi, quæ inter alia capita εὐλογίας quoq; complecte-
batur: ne igitur hac in re fratri cederet, de tertia querenda
uxore consilium inquit, quod epicureisimum sapit.

1.
Est Epicureus.

15. Altera

2. *In illis or.*
Ἐμπόδιστος
17. Altera erat parentis mandatum, quo Jacobo conjugium cum Cananeis seuerè prohibitum fuerat. Quamobrem Esau cum impias mulieres dimittere non vellet, & non tam illarum impietatem quam genus exosum parentibus esse existimaret, aliam genere propinquam sibi iungere voluit, quod nihil est aliud, quàm vera religionis sarcasmus & ludibriū.

3. *Ἐπιχουζέναι*
Ἐπ.
18. Tertio stimulabat illū obadientia Iacobi, qua fore sperabas, ut paterna domus hereditatē ipsi interim possideret sibiq; propriam vendicaret, dum alter minis suis territus spontaneè exilium sequeretur. Novis itaq; nuptiis insperatum hoc gaudium aspiciatur: in quo consilio confidentia & pertinacia inest, quod suaviter in sinu gaudet Jacobum suis minis cedere coactum esse.

4. *Hypocrita.*
19. Deniq; verò hypocrisis ei hanc sententiam suppeditavit, quod parentes nova uxore quodammodo placare voluit, quasi verò domus purgaretur pluribus introductis scandalis.

20. Ducit itaq; Esauus suo consilio, non parentum, nec Dei Mahalath, filiam Ismaëlis patris sui, qua soror erat Nabaiot huius primogeniti Ismaëlis Genes. 25. 13 Peccat carnali studio Esauus in parentes, quorum consensum aspernatur, inq; Deum, quod idololatricam mulierem sibi copulare non vereatur. Ac proinde *ποδωραμια* eius non potest illa excusatione defendi, qua patriarcharum, sed modis omnibus vituperanda est. Gen. 6. Nam pius patriarcha tum promissione Messiae à suo semine nascituri, tum incremento Ecclesiae ad plures ducendas sunt incitati, sed Esauum nihil horum, verum carnis libido et simulata obadientia stimulat.

21. Atq; hæcenus historia Isaaci pertractata est: jam, quae sequuntur, vitam & res gestas Iacobi complectuntur.

F I N I S.

AB

52

9
549

ULB Halle 3
003 140 237




sb.

Wort







1w

TIO BIBLICA XXIII.
IL, & XXVIII, ca=
Geneleos, ad privatam
συζητησιν proposita

ONE GESNERO, S.S.
Æ DOCTORE ET PRO=
e publico, in Academia
Vitebergensi.

Iunij, Anno Christi 1599. respondebit
συν δεσφ

NNES EISINGIVS
omontanus Francus.



ITEBERGAE,
atur Typis Meissnerianis,
M. D. XCIX.

